

32
1758 9 44.

ORDINIS IVRIDICI
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
SENIOR
ET H. T.
D E C A N V S
ANDREAS FLORENS
R I V I N V S D
POTENTISSIMI REGIS POLON. ET PRINC
ELECT. SAXON. CONSILIARIUS AVLICVS
DIG. VET. PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIUS
CVRIAEC PROVINCIALIS CONSIST. ECCLESIAST
ET SCABINATVS VITEMBERGENSIS
ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

*de autoritate sacerdotum
veneris Germaniae in iudicis*



DE
AVCTORITATE SACERDOTVM
VETERIS GERMANIAE
IN IVDICIIS



legans est GEORGII CHRISTIANI
GEBÄVERI, ICti Goetting. Primarii, de
C. CORNELII TACITI *de situ, moribus et
populis Germaniae libello*, iudicium, quando in singulari
programmate, ad illustrandum caput octauum et decimum
conscripto,^{a)} ex amore huius aurei libri, inter alia scribit:
Eius lectionem homini Germano esse incundam, ICto vero vti-

A 2

lem

a) Goetting. d. XII. Aug. c 1710 CC XXXVI.



lem et necessariam. Vnde enim iuris nostri Germanici primordia et vetustissimorum iurium vestigia melius illuminari possint, quam ex hoc libro, non satis scio. Quare cum legerem Dissertationem Inauguralem CLARISSIMI CANDIDATI, FRIDERICI AVGUSTI FISCHERI, de veritate per clericum eruenda, varia loca ex CORNELIO nostro de auctoritate Sacerdotum veteris Germaniae in iudiciis, in memoriam reuocavi. Sumimam hanc fuisse, perspicere licet ex Cap. XI. vbi de comitiis; (templa enim Germani non habebant, IDEM Cap. IX.) ita differit: silentium per Sacerdotes, quibus tum et coercendi ius est, imperatur. Quin immo in iisdem Principes et Sacerdotes de delictis publicis belli et pacis tempore statuebant. ^{b)} Licet namque, teste TACITO, Cap. XII. apud concilium accusare, et discrimen capitis intendere, dictatas vero poenas Sacerdotes exequabantur; Praesertim CORNELIUS noster Cap. VII. de militantibus ait, ceterum neque animaduertere, neque vincire, neque verberare quidem, nisi Sacerdotibus permisum: non quasi in poenam, nec ducis iussu, sed veluti Deo imperante, quem adesse bellantibus credunt. Et apud Bur-

^{b)} Iung. PHILIPP. CLEVVERI Germ. Antiqu. Lib. I. Cap. XXIV.
num. 50.

Burgundios, origine Germanos,^{c)} Sacerdos, omnium maximus, qui *Sinistus* vocabatur, plus valebat, ac ipse Rex, vti ex MARCELLINO probat Illustr. MASCOVIVS.^{d)} Verissimum vtique est, quod eleganter HEINECCIVS docet in *Elem. Iur. Germ.*^{e)} pietatis laudem vel sic satis tueri se existimant Germani, si *sacerdotibus*, tanquam Deorum interunciis, obsequium praefarent, eorumque iussu pro oraculis; animaduersiones pro diuinitus inflictis haberent. Id quod etiam confirmat TACITVS, *Cap. X. et XLIII.* Et hoc quoque postea collimant nonnullae leges *Regum Francorum*, *Capitularia dicta*, praesertim *Capitulare Aquisgranense Ao. I o CCLXXXIX.* CAROLI Regis in praefat. Quapropter placuit nobis vestram rogare solertia, o pastores Ecclesiarum Christi, et ductores gregis eius, et clarissima mundi luminaria, vt vigili cura et

A 3

sedula

c) Iung SCHVRZFLEISCHII *Histor. veter. Regni populi Burgundionum Disputat. X.* vbi et locum AMMIANI MARCELLINI *Lib. XXVIII. Cap. V.* sobolem se esse Romanam Burgundii sciunt, explicat.

d) Geschichte der Deutschen *Lib. II. §. 36.* iuncto *Lib. VII. §. 8.*
not. 4.

e) *Lib. I. Tit. XVII. §. 399.*

f) In *Corp. Iur. Germ. edit. GEORGISCH p. 550.*



sedula admonitione populum Dei per pascua vitae aeternae ducere studeatis: et in *Capitul. CAROLI MAGNI et LUDOVICI PII Lib. V. CCCXV.*^{g)} illud etiam ad exemplum reducendum est, quod in ecclesiastica historia *CONSTANTINVS Imperator Episcopis* ait: Deus, inquit, constituit Vos *sacerdotes*, et potestatem Vobis dedit de nobis quoque iudicandi. Et ideo nos a vobis recte iudicamur. Vos etiam nobis a Deo dati estis Dii. Praeterea de *sacerdotum executione criminali antiqua locus ex ADELAR. ERICH Chr. Iuliac. Lib. I. Cap. XXI.* apud *SCHILTERVM in Exerc. ad Pand.*^{h)} legi meretur: In peinlichen Sachen ward der Ausspruch und Execution durch ihre Geistlichen und derselben Diener verrichtet.

Nec igitur est, cur miremur in subsequentibus et nostris temporibus *Reuerendos dininae mentis interpretes* in veritate eruenda in iudiciis saepius in auxilium vocari, dum auctoritas, honor et habitus eorum dictis, quae sunt quasi quidam aculei, maiorem vim ac potestatem conciliat, ut ii, qui illos audiunt, sint futurae salutis aeternae memorres,

g) *Ibid. pag. 1486.*

h) X. *CAROLI IV.*

res, cogitantes iurisiurandi contemtam religionem Deum habere vltorem. Eiusmodi autem hominem, in quo, ne tunc quidem sensus pietatis et religionis deprehenditur, qui que longius processit, quam ut possit verbis sanari, grauiter alloquitur SENECA:ⁱ⁾ tibi insanabilis animus est, et sceleribus scelera contexens. Perbibisti nequitiam et ita visceribus immissuisti, ut nisi cum ipsis exire non possit. Et simili modo TULLVS METTIVM apud LIVIVM^{k)} METTI FVFFETI, si ipse discere posses fidem ac foedera seruare; viuo tibi ea disciplina a me adhibita esset. Nune quoniam tuum insanabile ingenium est, tu tuo supplicio doce humanum genus, ea sancta credere, quae a te violata sunt. Ut igitur paullo ante animum inter Fidenatem Romanamque rem ancipitem gessisti, ita iam corpus passim distrahendum dabis.

Ego vero ad id nunc agendum pergo, cuius occasione haec sum praefatus, scilicet prae nobilissimus

FRIDERICVS AVGVSTVS FISCHERVS

VITEMB. SAXO

FISCI REGII STEVRALIS IN CIRCVO ELECTORALI
PROCVRATOR ET SENATOR VITEMBERG.

ⁱ⁾ Lib. I. de Ira Cap. XVI.
^{k)} Lib. I. Cap. XXVIII.

qui



qui non tantum in Iustitiae templo satis diu tanquam auditor solertissimus versatus, sed iam ante aliquot annos ad eius adyta penetravit huiusque *sacerdotibus* maximopere se approbavit, ut eum dignissimum iudicauerint, qui et eandem alias religiosa cum obseruatione docere ac laudabili aduocationis officio fungi possit, fecitque hoc haetenus felici successu; audiamus ipsum de natalibus suis totaque vitae ac studiorum laudatissimorum ratione exponentem.

Natus sum Vitembergae d. XVI. Aug. cIɔIɔCCXXVII.
Patrem habui IOANNEM FRIDERICVM FISCHER-
RVM, cursus publici, seu postarum, vii vulgo dicitur, ma-
gistrum. Matrem nactus sum CHRISTINAM ELISABE-
THAM, IOANNIS GEORGII KREBSII, mercatoris huius
loci, filiam. Vtrumque parentem, fati acerbitas, mature
mibi abstulit. Patrem amisi anno cIɔIɔCCXXXV.
matrem autem anno cIɔIɔCCXXXVII. Ex eo tem-
pore apud auum maternum, IVSTVM AVGUSTVM
FLEISCHAVERVM, huius ciuitatis consulem, educans fui,
qui omnem curam in eo posuit, vt piis doctisque praecepto-
ribus me erudiendum traderet. Huius quoque compos factus
sum felicitatis. Litteras enim didici duce Viro Excellen-
tissimo,



tissimo, IOANNE FRIDERICO HILLERO, qui iam inter Professores academiae nostrae splendet, et a me condigne laudari non potest. Deinde cum scholam huius oppidi publicam, aliquantum frequentassim, ex gratia Regia anno c I o I o CC XL III. in scholam provincialem Portensem fui receptus, in qua FREYTAGII, HENTSCHELII, GEISLERI, aliorumque clarissimorum virorum dexteritatem et benenolum erga me animum, expertus fui. Hic autem primo loco nominandus erat, Vir Magnificus, Summe Venerabilis, IOANNES IOACHIM GOTTLÖB AM-ENDE, Dresdenium sacrorum nunc Antistes, et Summi Senatus Ecclesiastici Assessor, cuius egregia in me beneficia, magis magisque in dies adiuncta, grata piaque mente, in perpetuum sanctissime venerabor. Redux in academiam nostram anno c I o I o CC XL VI. Philosophiae studiis sub Excellensissimo HILLERO, Iurisprudentiae autem, sub Viris Illustribus et summi nominis, LEYSERO, CRELLO, RIVINO, HANACCIO, CHLADENIO et KRAVSIO, operam dedi, deinde etiam praxi iuridicae, vti vocatur, manus admoui, cuius viam mihi monstrauit Vir Excellensissimus et in foro versatissimus, IOANNES GOTTLÖB



KLÜGELIVS, I. V. D. et ciuitatis nostrae Syndicus
longe meritissimus. Anno cIɔIɔ CCLII. disputationem de
libero principis in legum promulgatione arbitrio, sub
praesidio Illust. LEYSERI, defendi, et cum anno insequenti
cIɔIɔ CCLII. ab illustri ICTORUM Vitembergensium Or-
dine, ad examen pro praxi et candidatura, nec non ad
illud, quod rigorosum vocatur, admissus fuisse, veniam
tandem summa Principis gratia impetravi, ut causas in
iudiciis perorare mihi liceret. Ex eo tempore in foro
versatus sum, illud autem tempus, quod a forensibus
negotiis mibi factum est reliquum, eo impendi, ut iuris
praecepta illis traderem, quibus studia mea non displice-
rent. Accessere et alii labores, anno enim cIɔIɔ CCLVI.
Rex Potentissimus supra laudato D. KLÜGELIO in mu-
nere Procuratoris Fisci Steueralis, me adiunxit, et cum eo,
qui iam voluitur anno, locus in Senatu huius urbis vaca-
ret, in eum assumptus et summa Principis gratia, confir-
matus fui. Iam in eo sum occupatus, ut disputationem
inauguralem, de veritate per clericum eruenda, pro ob-
tinendo gradu Doctoris, publice defendam, id quod Deus
O. M. ex voto atque feliciter procedere iubeat.

Nunc



XI

Nunc ad GRADVM DOCTORIS adspirans *Dif-*
sertationem Inauguralem de veritate per clericum eruenda
ex Gratia POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS ET
PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE NOSTRI in Audi-
torio Maiori, sine Praefide die XIII Nou. a. c. defendet.
Quem actum ut MAGNIFICVS ACADEMIAE RECTOR
ILLVSTRISSIMI COMITES PERILLVSTRES LIB. BA-
RONES PATRES CONSCRIPTI GENEROSISSIMI ATQVE
NOBILISSIMI CIVES splendidiorem reddere non dedignen-
tur, Collegii nostri nomine quam obseruantissime rogo.

Dabam Vitembergae Dom. XXV. post Trinitat.

A. O. R. cīc lccc lviii.



VITEMBERGAE
EX OFFICINA SCHLOMACHIANA



12 13 14 15 16 17
ACADAM DOCTORIS APOLLONII
ALBANIENSIS INSTITUTI ET LIBRARIAE PETROPOLITANAE
CENSUS LIBRARIÆ ET MUSEI
ACADEMIE PETROPOLITANAE
OMNIBUS LIBRIS ET MUSEIS ACADEMICIS PETROPOLITANIS
ALIAS LIBRARIÆ ET MUSEI
ACADEMIE PETROPOLITANAE
INSTITUTI ET LIBRARIAE PETROPOLITANAE
EGO JACOBUS DOCTEUR ET CONSILLIORIUS REGII
SCHOLARIS PETROPOLITANUS VV. A. 1657.

A.D.

Widenberg, Diss., 1756-58


ULB Halle
003 608 042

3



f Sb

B.I.G.



32
1755 94.

ORDINIS IVRIDICI
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
SENIOR
ET H. T
DECANVS
ANDREAS FLORENS
RIVINVS D
POTENTISSIMI REGIS POLON. ET PRINC
ELECT. SAXON. CONSILIARIUS AVLICVS
DIG. VET. PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIUS
CVRIA PROVINCIALIS CONSIST. ECCLESIAST
ET SCABINATVS VITEMBERGENSIS
ASSESSOR
LECTORI BENEVOLO
*de autoritate sacerdotum
veneris Germaniae in iudicis*